

ET ILLUSTRUM.

33

Historiam genuinam non esse, sed à Judæis Egyptiis ad conciliandam versionem Legi suæ Authoritatem confictam, Josephus Scaliger jamdudum prolixè demonstravit. Nos re in medio relicta ad alia pergimus. Succedit

CLEOPATRA
PTOLEMÆI EVERGETÆ UXOR.



Ptolemæi Evergetæ? excepit ARCHÆOPHILUS; At ille Philadelphi filius fuit, & nisi fallor Berenicen habuit, Magæ Cyrenarum Regis filiam: nam hanc pater, ut inimicitias cum fratre Ptolemæo Philadelpho finiret, ejus filio Evergetæ despondisse, Justino memoratur: Et licet postea mater Eurydice, quæ aliis Apame dicitur, ad nuptias dissolvendas Demetrium Polyorcetæ filium evocaverit, tamen eò occiso, Berenice & matris adulteria ulta, & Patris inde in matrimonio sortiendi judicium secuta est. Hæc sane mortuâ aliam adhuc Evergetæ ductam non statueris; ex Polybio enim constat, eam marito suo supervivisse, & demùm à filio Ptolemæo Philopatore interfectam esse. Non à filio, respondit DULODORUS, sed à privigno, vere enim Reineccius in Historia Juliâ, non tantùm duas Evergetæ uxores, Berenicen scilicet & Cleopatram statuit, sed & Berenicen posteriorem putat, Ptolemæumque Philopatora ex priore Cleopatra, ex Berenice autem Magan prognatum, qui & ipse postea à fratre interfectus est. Hæc si ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, quid inde? an ideò Numisma huic tribueris, cum tamen aliâ adhuc Cleopatræ sint, & inter reliquas famosissima illa Antonii, cui utique communis Antiquariorum calculus ejusmodi Numismata adjudicat. Cleopatram Antonii, respondit DULODORUS, utpote ex Numismatibus Antonii notam, faciei dissimilitudo amovet: Reliquas amovet ratio Chronologica in Numismate expressa; Neque enim nomen tantùm ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, neque dignitatem tantùm ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ in nummo legimus, sed & adjectam literam Π deprehendimus, quæ proculdubio numeralis est, annumque æræ Alexandrinæ octogesimo exprimit, qui in annum Evergetæ Regni decimum quintum incidit, adeò ut hoc indice ritè statuamus, non tantùm Numisma nostrum Evergetæ uxori tribuendum esse, sed & eam anno Æræ Alexandrinæ LXXX. adhuc vixisse. Scilicet, excepit ARCHÆOPHILUS, si Regina Ægypti Numisma debeatur, cum autem & aliâ fuerint, unde tu hoc probabis? Alias hoc tempore, respondit DULODORUS, Cleopatræ nomine Reginas vereor ut ostendere possis; & si ostendas, pro Ægyptia tamen Aquila Κεραινοφόρος militat, commune Regum Ægyptiorum symbolum: Militat Cornucopiæ adjectum, quò dubium non est, quin ubertas regionis, Nili beneficio, qui & ipse Aquila dicebatur, Ægyptiis naturalis adumbretur. Sed unicum adhuc Ægypti Regem profero. Is est, cujus supra sub Antiocho Deo Epiphane Tibi spem feci,

(E)

PTOLE-